

riorque scientia habeatur, praeter Institutionum Canoniarum studium, Decretalium etiam scholas matutinam pariter ac vespertinam a distinctis spectatissimisque professoribus habendas ereximus. Ne quid vero stimuli studiosae deesset iuventuti, quae in spem Ecclesiae succrescit, utque praemiis ad altiora subtilioraque studia alliceretur, nil antiquius aequae ac optabilius habuimus, quam suppressae temporum iniuria Universitatis Mexicanae defectui occurrere. Hac de causa enixe ab Apostolica Sede iterum iterumque facultatem efflagitavimus academicos conferendi gradus. Res autem adeo prospere successit, ut conatus votaue nostra plene expleta ac superata videamus. Nam S.S. Pontifex Leo XIII lubentissimo animo nostris precibus annuens, summa qua pollet auctoritate, facultatem Nobis elargitus nuperrime est, Constitutionibus a Nobis propositis rite adprobatis, Universitatem erigendi in nostro Seminario, gradusque academicos, tam in S. Theologia quam in Jure Canonico, apostolica concedendi facultate una cum Collegio Doctorum, ab eodem S. Pontifice pariter cum omnibus iuribus et privilegiis ad id muneris adprobato. Quapropter, facultatibus Nobis per Apostolicas litteras concessis, rite utentes, Doctorum pleno habito conventu, canonicam erectionem Universitatis Mexicanae decrevimus, ac, ut pro erecta in Nostro Seminario Conciliari, ab omnibus per hasce praesentes litteras haberi volumus et statuimus.

In quorum fidem hasce litteras manu nostra subscriptas et sigillo nostro munitas dedimus.

Mexici, die 3^a Martii 1896.

LOCO ✠ SIGILLI.

Prosper M. Alarcon,
Archiep. Mexic.

Melesius Varquez, a Secretis.

INSTRUMENTA

QUAEDAM

PONTIFICIAE UNIVERSITATIS MEXICANAE

ERECTIONEM ATTINENTIA.

SEGRETERIA

DELLA

Sacra Congregazione degli Studi.

ILLME. AC RME. DOMINE.

Rite ad hanc S. Studiorum Congregationem pervenerunt litterae sub die 14^a Februarii nuper elapsi, quibus Amplitudo Tua eandem S. Congregationem certiolem reddit, ita noviter fuisse reformata studia istius Seminarii Mexicani, ut pluries petita a S. Sede tandem concederetur facultas, gradus academicos conferendi sive in S. Theologia, sive in Jure canonico. Hunc ad affectum nomina indicat Amplitudo Tua septem Professorum, qui laurea doctorali insigniti sunt, ut ex eisdem Collegium Doctorale constitui possit.

Profecto per huiusmodi studiorum reformationem Amplitudinis Tuae sollicitudo, quam maxime, laudanda est: et statim S. Congregatio haec debitas de more pertractationes aggredietur, pro petita Facultate Theologica in isto Seminario erigenda.

Unum nunc restat Amplitudini Tuae significandum et est: posse quidem sicut Mediolanensi Instituto et aliis concessum est, tribui privilegium etiam mexicano, ut juvenes qui in Seminariis regionis, studiorum cursus expleverint ad gradus promoveri possint: sed una tantummodo sub conditione, si nempe ratio studiorum in huiusmodi Seminariis prorsus conformis

inveniatur ac in mexicano. Utinam Episcoporum regionis animi collatis simul consiliis in id conspirarent, ut nempe clericorum studia uniformi ratione in Seminariis refformentur et releventur. Propitia nunc prostat occasio, erectio videlicet Collegii Theologici Mexicani, quod in locum suppressae Universitatis constitueretur, si sub praefata uniformitatis studiorum conditione, etiam ex aliis Seminariis juvenes ad gradus promoverentur. Sed de his commonere oportebit Episcopos, eosque in vota ut convenient movere; quod si opportuna dexteritate et prudenti ratione Amplitudo tua compleverit, rem gratiorem jucundioremque SSmo. Patri et huic S. Congregationi Vestrisque Dioecibus utiliorem effici haud posse firmissime affirmare non dubito.

Haec pro meo munere Amplitudini Tuae erant significanda, cui interim omnia fausta in Domino feliciaque adprecans mei devotionis sensus libentissime profiteor.

AMPLITUDINIS TUAE.

Romae die 30 Martii 1895.

Addictissimus Servus,

Joseph Magno a Secretis.

SEGRETERIA

DELLA

Sacra Congregazione degli Studi.

ILLME. AC RME. DOMINE.

Quae enixe ab hac S. Studiorum Congne. per litteras pluries ad eam missas Amplitudo Tua efflagitaverat, tandem, Deo favente, ad exitum deducta fuere.

Exhinc istud Mexicanum Seminarium Pontificiis decorabitur Facultatibus, theologica nimirum et canonica, cum privilegio gradus academicos, apostolica auctoritate conferendi sive alumni, qui eiusdem Seminarii scholas celebraverint, sive aliis, qui ex alienis Dioecibus eo conveniunt, ut sese examini- bus, datis sub conditionibus, exponant.

Haec S. Stud. Congregatio, cui nil magis cordi esse potest, quam clericorum fovere studia, eosque praemiis allicere, ut qua par est diligentia, profunditate et amplitudine scientiis sacris incumbant, omnia pro suo munere libentissime absol- vit, quae ad canonicam praedictarum Facultatum erectio- nem, iuxta statutas normas et praxim praescribuntur. Hinc constitutiones seu statuta, quae subiecta sunt, revisit et ad- probavit: viros qui ad constituendum collegium doctorale proponebantur, auctoritate S. Pfcis, confirmavit: tabulas syn- opticas denique, quibus cursuum distributio et duratio una cum professorum titulis et auctorum textibus indicantur, in disciplinis tam S. Theologiae et iuris canonici, quam philo- sophiae scholasticae ratas habuit.

Quod ad scholas inferiores, gymnasiales et lyceales atti- net, haec S. Congregatio nihil disponendum censuit: et om- nia iudicio et prudentiae Amplitudinis Tuae professorumque curis relinquuntur, ut alumni, qui ad scientias sacras et philo-

sophiam scholasticam, addiscendas contendunt, ea solida et varia in litteris et praesertim in lingua latina calleant peritia, quae ad altiora studia exsolvenda prorsus utilis, imo necessaria est.

Quapropter omnibus sic rite absolutis, haec adnexa documenta Ampl. Tua inveniet: *a*) decretum erectionis canonicae duarum Facultatum h. e. S. Theologiae et iuris canonici: *b*) constitutiones pro dictis Facultatibus ad decennium valituras, cum decreto adprobationis earumdem: *c*) rescriptum, quo novem propositi viri et Doctores h. S. C. auctoritate confirmantur, ut ex his Collegium Doctorale constituatur: *d*) demum duas tabulas synopticas, quibus, nonnullis inductis emendationibus, nomina indicantur professorum, eorumque tituli, textus auctorum, cursuum distributio et duratio sive in theologia et iure canonico, quam in philosophicis disciplinis.

Nil restat nisi vota et omina ex corde facere, ut aucto alumnorum ex propinquis etiam Dioecibus numero, quae pro Facultatum erectione constituta rite fuerit, feliciter ad effectum deducantur, ad clericorum ampliorem, variam et exquisitam, ut par est, institutionem, nec non ad decus ipsius Mexicanae Archidioeceseos, in qua tuis praesertim curis, zelo et prudentia factum est, ut pro clericis omnibus istius Mexicanae regionis Pontificia Universitas restitatur.

Hac libenter utor occasione omnia fausta et felicia Amplitudini Tuae in Domino adprecari, et meae aestimationis sensus exprimere, quibus permaneo.

Datum Romae die decimasexta Decembris 1895.

AMPLITUDINIS TUAE REVMAE.

Addictissimus Servus

C. Card. Mazzella, Praef.

Joseph Magno, a Secretis.

ILLMO. AC RMO. ARCHIEPISCOPO MEXICANO.

SACRA CONGREGATIO STUDIORUM.

DECRETUM

EX AUDIENTIA SSMI. DIEI 14^{ae} DECEMBRIS 1895.

Ne clerici in spem Ecclesiae succrescentes ulterius presentiant detrimentum subversionis Universitatis Pontificiae, quae tertio ab eius fundatione accidit saeculo in Mexicana regione, jampridem Illmus. ac Rmus. Mexicanus Archiepus. enixe rogavit, ut facultates Theologiae ac Juris ecclesiastici in Seminario Dioecesano canonice erigerentur atque ad easdem tuendas regendasque collegium simul institueretur doctorum cum privilegio conferendi gradus academicos iis, qui scholas rite celebraverint.

Quum ex monumentis nuper ad S. Congregationem Studiorum missis constet Facultates Theologiae Jurisque canonici reapse in Seminario Mexicano esse nunc institutas ad normam ceterarum, quae honorem canonicae erectionis jam ab Apostolica Sede recepere, ac insuper antecessorum copia atque praestantia spem faciat fore, ut disciplinarum amplitudine ac puritate, apprime floeant; Summus Pontifex Leo XIII, cui nil antiquius est, quam sacras disciplinas ubique promovere, earumque studium magis magisque fovere, attentis peculiaribus circumstantiis in audientia diei 14^{ae} Dec^{is} votis mexicani Archiepi. annuens jubere dignatus est, ut praedictae facultates apostolico robore fulcirentur.

Mandatis igitur Summi Pontificis morem gerentes decernimus atque statuimus ut Facultates Theologiae ac Juris Canonici in Seminario mexicano nunc existentes veram ac proprie dictam habeant erectionem una cum collegio Doctorum, quod frui ac gaudere potest privilegio conferendi in iisdem Facultatibus gradus Baccalaureatus, Licentiae ac Laureae iis dumtaxat, qui sedulo scholas frequentaverint et honorem graduum, praevio examine promeruerint, servatis adamussim Constitutionibus huic decreto adnexis et a S. Congne. Studiorum rite approbatis. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria S. Congregationis Studiorum die 14^a Decembris 1895.

C. CARD. MAZZELLA, PRAEF.

JOSEPH MAGNO, A SECRETIS.

DECRETUM.

Ut Collegium doctorum Facultatis Theologiae ac Juris Canonici nuper erectae in Seminario Mexicano, nunc primum componatur, Sacra haec Studiorum Congregatio, utendo facultatibus a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII benigne tributis, concedit Rmo. Archiepiscopo Mexicano, ut eidem Collegio aggregare possit et valeat R. D. Aristaeum Aguilar, doctorem in S. Theologia et Jure Canonico, R. D. Josephum Mendez doctorem in S. Theologia, R. D. Franciscum Plancarte, doctorem in S. Theologia, in Jure Canonico et Philosophia, R. D. Leopoldum Ruiz, doctorem in S. Theologia, in Jure Canonico et Philosophia, R. D. Joannem Herrera, doctorem in S. Theologia, in Jure Canonico et Philosophia, R. D. Antonium Paredes, doctorem in S. Theologia et Jure Canonico, R. D. Philippum Pineda, doctorem in S. Theologia et Philosophia, R. D. Franciscum Orozco, prolytam in S. Theologia et doctorem in Philosophia, R. D. Emmanuelem Solé, professorem emeritum in S. Theologia, de quorum praestantia ac morum integritate et religionis zelo satis constat; sub conditione tamen ut cum haberi poterit copia doctorum, Collegium theologicum distinctum omnino efformetur a Collegio Facultatis Juris Canonici iuxta normas quae in constitutionibus, a Sacra hac Congregatione rite approbatis, continentur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria S. Congregationis Studiorum die 16^a Decembris 1895

C. CARD. MAZZELLA, PRAEF.

JOSEPH MAGNO, A SECRETIS.

DECRETUM.

Quum Episcopus Mexicanus constitutiones nuper conditas pro Facultate Theologica ac Juris Canonici exhibuerit, efflagitans, ut Pontificia auctoritate roborentur; Sacra haec Studiorum Congregatio, postquam eas maturo subiecerit examini, utendo facultatibus a "*SSmo. Domino Nostro Leone Papa XIII*" benigne tributis, nonnullis emendationibus inductis, approbandas atque confirmandas esse censuit, prout hoc decreto approbat, atque per decennium sancit, ut experientiae detur locus. Quocirca Facultatibus Theologiae ac Juris Canonici in Mexicano Seminario uti liceat praefatis constitutionibus huic decreto adnexis, quarum exemplar in tabulario S. Congnis. asservatur, ut hinc frui possint omnibus iuribus ac privilegiis, quae in ipsis continentur, dummodo religiose serventur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria S. Congregationis Studiorum die 14^a Decembris 1895.

C. CARD. MAZZELLA, PRAEF.

JOSEPH MAGNO, A SECRETIS.

STATUTA

FACULTATIS S. THEOLOGIAE ET JURIS CANONICI

IN SEMINARIO MEXICANO

CAPUT I.

De origine et institutione Facultatis S. Theologiae et Juris Canonici in Seminario Mexicano.

Iam ab initio Hispanicae dominationis in hac regione Mexicana primus Pro-Rex Antonius Hurtado de Mendoza Universitatis Mexicanae fundamenta iecit; quae tandem a Carolo V, Hispaniarum Rege, per decretum d. XXI Septembr. anno MDLI erecta est, eique iura et privilegia Salmaticensi donata consociavit.

Clemens VIII, Pontifex Maximus, bulla anno MDXCV concessa, titulo Pontificiae insignivit.

S. Catharinam Virginem et Martyrem Universitas coelestem sibi Patronam elegit.

Tertio a fundatione exeunte saeculo anno MDCCCXXXIII suppressa, iterum restituta a Reipublicae Moderatore Antonio Lopez de Santa-Anna anno MDCCCLIV, desiit cum Restitutoris regimine.

Exemus, ac Rmus. D. Dr. Pelagius Antonius de Labastida y Davalos, probe noscens bona quae, Universitate suppressa, clerus Mexicanae Dioeceseos amiserat, tanto malo occurrere volens, gradus academicos in suo Seminario conferendi fa-